

Etenim, quod bulla A, ad vasculi fundum antè ideò delapsa, quia tota ejus moles ex vitro aère & aquâ intus admixta consistans gravior erat, quàm aqua sola æqualis molis (uti rectissime in superioribus judicaverat) immerso in aquam gelidam tubi fundo rursus ascendat, ejus rei causam hanc assignavit

» Vir Laudatissimus, *Kirchero* quoque & *Magiotto*, ut ait, ap-
 » probatam; quod aqua in vasculi fundo ab ambiente gelidâ
 » condensata minorem locum occupare nitatur, id verò fieri
 » nequeat, nisi aliud corpus substituatur in locum ab aqua con-
 » densata relictum, ne vacuum detur intra tubum, ideoque,
 » cùm aliud corpus ingredi non possit, evomatur aqua è glo-
 » buli sive bullæ collo, aërque reductus in statum suum natura-
 » lem dilatetur, totam ferè globuli cavitatem occupans, unde
 » levior factus globulus cum aère, quàm aquæ tantundem, ad
 » summa enitatur &c. Sed enim, ut taceam his verbis more
 Scholarum finalem causam indicari effectûs propositi (ut va-
 cuum alioqui futurum evitetur) cùm efficiens causa hîc præ-
 cipuè quærat, quæ bullam ab imo fundo ad vasis superiora
 attollat; si maximè studium hoc evitandi vacui aut aquæ ipsi,
 aut aëri intra bullam conclusæ, aut generalius Naturæ rectè
 posset attribui (quod fieri tamen nisi tropicè haut potest, cùm
 nec aqua, nec aër, nec universa Natura, quid vacuum sit, aut
 ubi metuendum, aut cur metuendum, aut quo remedio præ-
 cavendum &c. cognoscat) superesset tamen adhuc quæstio de
 agente illo naturali, quod aquam è bullæ collo egredi faciat
 ad replendum locum alioqui vacuum futurum. Itaque re-
 citius ita causam memorati Phænomeni explicari monui-
 mus, si dicatur: quemadmodum aqua suo pondere in col-
 lum bullæ se infinuans aëremque inibi contentum compri-
 mens prius effecerat, ut bulla jam specie gravior aquâ descen-
 deret; ita vicissim eundem aërem jam aliquatenus compres-
 sum aquamque se invito quasi admixtam repellere omnibus
 viribus conantem, elasticam hanc suam virtutem tum de-
 mum efficaciter exserere, cùm exterior aqua ex ambientis
 majore

Causa 4.
Phæn.